Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1491
Quelle:
Copyright:

tragicoque ejus fine praeter Scriptores in *Lexico Joecher.* et *Univ.* excitatos *Dan. Farlatus Illyrici sacri T. III. Venet.* 1765. p. 481. f. et *Alex. Horanius* in *Mem. Hungar. et Provinc. P. I. Vien.* 1775. p. 527. 8. qui gnaviter Jesuitam fuisse repetit, nihil tamen de ejus ab hoc Sodalitio discessu memorat. *Josephi Halli Exoniensis* postea, tum *Nordovicensis* Episcopi Epistolam, quae nostram provocavit, impressam habes inter *Clar. Viror. Epistolas* a *P. Colomesio* lectas et ad calcem *Epistolar. II. S. Clementis* editas *Lond.* 1687. p. 321. 8. Fugeritne *Colomesium* Responsum nostrum, an in scrinio premendum censuerit, incertum. Lucem sane non minus merebatur, quam alterum *M. Antonii* Scriptum, quo *sui reditus ex Anglia Consilium exponit*, quod typis cum *Romanis*, tum *Moguntinis* 1623. 4. prostat, insigne magis doctrinae dubites, an inconstantiae argumentum. Ita vero ingreditur: *Oratio tua paraenetica, Vir clarissime, seu potius increpatoria ad me nuper* (1622. 20. Febr. stilo vet.) *scripta, si dictionem spectem, diserta quidem, et leporum plena; si dicentis animum, pia; si zelum scribentis, fervens, imo tota ardor, tota flamma, voluptati mihi fuit; neque possum his eam nominibus non acceptissimam habere, et plurimum commendare, tibique gratias agere: Si tamen res ipsas in ea a te tam facunde, tam pie, tam ardenter consideratas inspicio (liceat mihi quaeso pari animi candore, pari calami libertate tecum agere) eloquentiam video in argumento inutili impensam, pietatem, ubi ei locus non erat, exercitam, ardorem absque ulla aut occasione, aut opportunitate incensum: zelum vero et æmulationem Dei, sed non secundum scientiam debita cum discretione non fuisse moderatam.* Atque hinc disserere incipit: Adventum in *Angliam* non *finem*, sed *medium* sibi semper fuisse ad exequendum quadruplex consilium: 1) ut plene causas dissensionum et schismatum cognosceret, 2) ut scriptioni liberae liberum haberet locum, 3) ut unionis et concordiæ rationes observaret, 4) ut Regis (*Jacobi* I.) sapientia aliquamdiu perfrueretur, eique, si vellet, inserviret. Finem primum et alterum a se obtentum fuisse, in tertio a *Puritanis* se penitus impeditum, nec quartum, nisi ex parte, adsecutum. Haec multis, et ad res Hominis cognoscendas peropportune. Inserit post illa Epistolam *italicam* a se ad *Hispanum* in Aula *Brit.* Legatum *Did. de Gondomar* 9. *Febr.* stilo novo 1622. datam, qua favores ejus pro suo *Romam* reditu expetit, *Cautelas* 4. quas circa Catholicos in *Anglia* mitius habendos suadet, idque e *Capitibus* 6. ad quae examinanda *Hallum* et *Puritanos* provocat, et duplicem *Juramenti Fidelitatis* in *Anglia Formulam*, quarum posterior *sub verbis moderatioribus*. Deinde omnia inter se Regemque jam anno praecedente in caussa Religionis acta, scriptaque cum *Hallo* communicat, *Epistolam* hujus supra memoratam integram